

patet, quia negationi non datur negatio, nec enim negatio opponitur negationi, sed positivo. Minor probatur, quia ut dicit D. Thomas loco citato quæst. XI, art. II ad IV: « Divisionem apprehendimus per hoc quod istud ens non est illud: » ergo divisio per negationem constituitur. Et quæst. IX de potentia, art. VII, dicit: « Quod multitudo dicit duas negationes cum unitas dicat unam, » multitudo autem per divisionem constituitur: ergo divisio negatio est, nec apparet, quid aliud positivum divisio esse possit. Confirmatur, quia unitas in rebus compositis est unio partium, illa enim unione constituitur unitas, et ideo negavimus in physica esse modum superadditum ut medium, quia unitas compositi non est modalis, sed substantialis: unio autem non est negatio, sed quid reale. Et idem constat discurrendo per omnes species unitatis, nam unitas quantitativa addit continuitatem et rationem mensuræ, unitas compositionis unionem, unitas simplicitatis identitatem, unitas formalis, aut numerica positivam entitatem individui vel naturæ: ergo etiam transcendentalis unitas addet aliquid positivum. Confirmatur, quia unum, et idem non differunt, sed identitas non dicit negationem, sed relationem, et in positivo rationis consistit, sicut verum et bonum, ergo etiam unum transcendente.

XXX. Respondetur divisionem habere aliquem effectum negativum, causat enim hoc quod est unum non esse aliud, sed non consistere in sola illa negatione, sed etiam in fundamento, et causa ejus, quæ est separatio seu segregatio hujus ab illo, aliter enim negatio unius ab alio causari non potest; et illam segregationem seu divisionem, quæ unitatem solvit, tollit divisio quæ talem segregationem impedit, et con-

sequenter negationem illam sicut qui destruit album destruit negationem nigri, quæ in illo est. Unde patet ad primum locum D. Thomæ. Et ad secundum dicitur, quod multitudo dicit duas negationes, unam ratione unitatum ex quibus componitur, scilicet indivisionem earum, alteram ratione divisionis, quam importat, sed hæc est causata ex aliqua positiva causa, quæ segregat, et dividit, talemque divisionem, ut a positiva causa ortam tollit negatio divisionis, quæ est indivisio.

XXXI. Ad primam confirmationem respondetur quod unitas in compositis non est formaliter ipsa unio, sed ex unione resultans, ideoque si unitas resultans est substantialis, unio ipsa formaliter modus esse non potest. Unitas autem sic resultans formaliter est ipsa entitas substantiæ, addit vero ut conditionem negationem divisionis. Quod vero dicitur de illis diversis speciebus unitatis respondetur omnem unitatem habere quidem aliquid pro parte rationis formalis, debere tamen habere pro conditione, et connotato aliquam negationem indivisionis in se, sine qua non datur unitas. Et ipsa unitas quantitativa addit quidem supra ens commune aliquid positivum pertinens ad genus quantitatis; in eo tamen genere indivisionem debet habere, quia divisa quantitas, una esse non potest.

XXXII. Ad secundam confirmationem respondetur identitatem non esse formaliter idem quod unum, sed identitas unitatem supponit, et superaddit, vel negationem mutationis, sicut dicitur manere idem, quamdiu non mutatur, seu alteratur a suo statu, vel relationem rationis ejusdem ad se ipsum, quatenus dicitur idem sibi, et non identificari alii extra se. Verum autem, et bonum dicuntur per adæquationem ad intellectum, vel appetibilitatem ad

voluntatem. Unum autem, nec per ordinem ad intellectum dicitur, nec per ordinem ad voluntatem sed absolute, et ad se et sic non potest addere ad ens respectum rationis, sed negationem divisionis, ut dicit D. Thomas q. I de verit. articulo primo.

XXXIII. Omittimus alia argumenta, quæ vel formantur ad probandum, quod unum superaddat aliquid positivum ad ens, et solum probant, quod unum importet formaliter ens, et ab illo non distinguatur, non tamen quod superaddat ens. Ei similiter alia, quæ probare intendunt, unum formaliter nihil positivum dicere, sed solam negationem, et solum probant, id superaddere enti, non vero non includere etiam formaliter id quod positivum est, a quo distingui non potest ens propter transcendentiam.

## ARTICULUS II.

*Quotplex sit unitas, et an differat a transcendentali?*

I. Cum unitas sequatur ad ens in quantum indivisum, seu ut fundat in divisionem, juxta diversos indivisionis modos, diversa unitatum differentia desumenda est. Est autem generaliter loquendo triplex modus unitatis, seu indivisionis. Primo, est unitas transcendens, quæ est unitas, et indivisio entis, ut ens est. Secundo, est unitas formalis, quæ est unitas seu indivisio alicujus in formali constitutivo, et quidditate. Et quia in quidditate seu essentia rei inveniuntur diversi gradus, scilicet genericus et specificus, et in ipso genere, quædam sunt genera magis remota, quædam magis propinqua, et proxima speciei, potest etiam variari unitas seu indivisio formalis secundum unitatem genericam vel

specificam, aliqua enim conveniunt in unitate specifica, sicut Petrus, et Paulus conveniunt in ratione hominis, et a fortiori in ratione generica animalis; alia vero conveniunt solum in ratione generica animalis, vel viventis, etc. Et quia in quantum conveniunt non dividuntur, consequenter in eo in quo conveniunt, indivisionem habent, et hæc ratione dicuntur habere unitatem, quia habent convenientiam seu negationem divisionis. Tertia, est unitas numerica, quæ est unitas in individuatione, per quam non solum importatur convenientia, et indivisio in aliquo prædicato formali seu quidditativo, quod pertinet ad unitatem formalem, sed etiam importatur indivisio terminata, et incommunicabilis seu materialis, eo quod individuum non tam est prædicatum, quam subjectum, utpote infimum in gradibus essentialibus, et terminativum omnium. Unde unitas seu indivisio ejus est unitas materialis prout distinguitur a formali, quia individuum se habet materialiter, et per modum subjecti respectu omnium prædicatorum superiorum, quæ formalia sunt, et ideo unitas seu convenientia in prædicatis formalibus, vocatur unitas formalis, unitas vero individuationis vocatur materialis. Dicitur etiam terminata, et incommunicabilis, quia est ultimum ultra quod non fit prædicatio, neque communicatio in arbore prædicamentali. Circa istas ergo differentias unitatum, aliqua breviter per modum dubitationum explicanda sunt.

II. Primo, inquires utrum unitas transcendentalis, quam dicimus esse passionem entis, et condistinguiamus contra formalem, vel numericam sit unitas analogica, quæ convenit enti ut præscendenti ab omni genere et ut superius est ad illa, an sit alia unitas et quæ? Respondetur aliud

esse loqui de unitate entis ut præcisi, et abstracti, aliud de unitate entis absolute, et ut est ens: sicut in naturis inferioribus ad ens quæ sunt naturæ genericæ, vel specificæ, aliud est considerare unitatem naturæ secundum se, aliud unitatem naturæ, ut abstractæ, et in statu universalitatis secundum rationem genericam, vel specificam. Unitas ratione abstractionis dicitur analogia in ente, sicut in aliis naturis univocis generica, vel specifica; pertinet enim unitas universalis ad universale metaphysicum, estque proximum fundamentum ad relationem rationis, quæ constituit universale logicum. Quare quod sit analogia hæc unitas specifica, vel generica, pertinet ad denominationem rationis, et ad statum quem illa natura habet, prout in apprehensione. Et quod non pertineat hæc unitas, prout analogia ad rationem transcendentis unitatis, inde patet, quia unitas entis, prout analogia, et præcisa non descendit ad inferiora, sed tantum pertinet ad ens, ut abstracte sumptum, et sub illo statu abstractionis, qui est status rationis, seu apprehensionis. Unitas autem transcendentis descendit ad inferiora; alias transcendentis non esset, nec inveniretur ubicumque invenitur ens, cum tamen etiam naturæ inferiores, et individua ipsa dicantur unitatem transcendentem habere, sicut et entitatem. Et ratio est, quia retinent indivisionem in entitate, licet non retineant statum abstractionis, iste enim solvitur descendendo ad inferiora. Idem est de unitate formali in generibus et speciebus, ista enim unitas descendit ad inferiora, quia descendit indivisio in formali ratione naturæ, sicut Petrus est unus etiam in ratione naturæ humanæ, et non descendit unitas rationis, et abstractionis: ergo hæc est alia ab illa.

III. Secundo, inquires quid ergo est unitas transcendentis, ut distinguitur ab analogia, et individuali, et formali. Respondetur unitatem transcendentem sub præcisa ratione et conceptu transcendentis non esse aliud, quam rem ut indivisam in ratione entis; sicut etiam unitas formalis alicujus naturæ, vel quidditatis non est aliud, quam ipsa natura, ut indivisa sub illo conceptu et ratione naturæ, verbi gratia, homo dicitur habere unitatem formalem specificam, quia sub ratione hominis naturæ specificæ formalem divisionem non habet sed indivisus est, id est, non formaliter diversus. Unitas vero individualis non est aliud, quam res non divisa materialiter, et secundum conditiones individuationis, quæ materiales dicuntur respectu prædicatorum superiorum, quæ formaliter se habent respectu individui. Et quia ens transcendentem se habet, et ideo indivisio sub ratione entis dicitur etiam transcendentem se habere, quia ubi intrat, et salvatur ens, salvatur indivisio in ipsa ratione entis. Hoc ergo tantum dicit conceptus unitatis transcendentis, scilicet quod in conceptu, et ratione entis eo modo quo ens fuerit, et ubicumque ens fuerit, indivisum sit quantum ad id quod ens est. Quod vero sit unum secundum abstractionem, vel individuationem, vel aliquam aliam formalitatem nihil horum exprimit; sed tantum quod in ratione entis non sit divisio quocumque modo ens se habeat. Unitas vero formalis, quod in ipsa formali ratione naturæ, et quidditatis sive generica, sive specifica non sit divisio, sed ens transcendentem est, atque adeo et unitas ejus; natura vero, et quidditas formalis cujuscumque rei transcendentis non est, sed generica vel specifica, ideoque transcendentis non est ejus unitas. An vero ista

transcendentis unitas semper debeat esse conjuncta unitati formali, individuali, vel rationis? Cæterum est debere conjungi, quia nunquam ens invenitur, nisi cum aliqua natura, et in re cum aliqua individuatione, vel in intellectu cum abstractione.

IV. Tertio, inquires si unitas transcendentis nunquam invenitur sine individuali et formali in re, vel sine unitate abstractionis seu rationis in mente, quid addunt istæ unitates ad transcendentem, et quomodo omnes istæ unitates simul concurrunt in eodem subjecto, et in eadem entitate, verbi gratia, Petrus habet unitatem transcendentem in ratione entis, et habet formalem quia natura humana specificæ non est in eo divisa, et habet individualem, quomodo omnes istæ unitates faciunt unum. Respondetur istas unitates non distingui inter se, aut superaddere diversas res aut unitates absolutas et simpliciter, sed diversas habitudines seu respectus, secundum quos eadem entitas fit respectu diversorum diverso modo indivisa, et impartibilis. Et sicut entitas eadem contrahitur per varios gradus inferiores, qui non addunt distinctam entitatem ad superiorem, sed eandem magis explicant, et determinant secundum diversos conceptus, ita unitas, quia facit indivisionem in entitate, intelligendum est, quod non facit omnem modum indivisionis, neque illum explicat pro omni conceptu, et gradu, sed quando magis abstrahitur natura concipitur magis communicabilis, et minus indivisa, magisque partibilis, quod si habet unitatem, est beneficio intellectus illam convenientiam in superiori gradu per modum unitatis concipientis, et sic fit universale unum in multis, quia beneficio intellectus per modum, et ad instar unius rei concipitur, cum

tamen natura sic concepta in multis esse possit et communicari, per quod differt ab unitate individuali, quæ ita habet unitatem, quod omnino illam claudit, et incommunicabilem reddit multis eo quod facit indivisionem simpliciter, et complete. Itaque unitas transcendentis, et unitas formalis non sunt secundum se unitates simpliciter, et ex omni parte completæ, id est, facientes ex omni parte indivisionem, sed solum in aliquo genere, et quantum ad aliquid, sicut unitas transcendentem solum importat indivisionem in conceptu, et ratione entis, unitas formalis solum importat indivisionem in ratione formali quidditativa, id est, quod in hac ratione formali, et quantum est ex ejus parte non sit diversitas, sed convenientia. Et quia sunt diversi gradus in unaquaque essentia, seu quidditate, potest sumi convenientia seu indivisio, aut non distinctio in uno, et non in alio, verbi gratia, in generico, et non in specifico. Sed quia licet natura, et essentia in tota quidditate sua usque ad differentiam specificam unitatem habeat seu convenientiam, et non diversitatem essentialem, adhuc tamen est plurificabilis materialiter, et secundum differentiam non essentialem qualis est individua, duo enim individua intra eandem speciem non differunt essentialiter, licet diversæ substantiæ sint, ideo ultima et completa unitas, est quæ facit indivisionem non solum quidditativam, et formalem non plurificando specificæ, et essentialiter naturam, sed etiam materialem, et individualem, non plurificando eam per individua, et secundum conditiones extrinsecas.

V. Ex quibus patet unitatem transcendentem, formalem et individualem in eodem subjecto, et individuo reperiri, nec facere ibi, tres unitates simpliciter, et absolute, si-

cut nec tres entitates, sed eandem entitatem plene, et complete reddere indivisam ex omni parte, et quoad hoc una unitas addit super aliam novum modum seu respectum indivisionis, ita quod unitas transcendens dicit aliquid esse indivisum in ratione entis, relinquit tamen plurificabile in formali ratione quidditativa, sive generica, sive specifica. Similiter unitas formalis non est aliud quam indivisio in ratione formali quidditativa seu essentiali, quæ non potest esse transcendentalis unitas, sed cujuslibet quidditatis. Et addit alium modum indivisionis, scilicet non esse naturam plurificatam, et divisam in ratione illa formali in qua est una, sive sit ratio generica, sive specifica, relinquit tamen eandem naturam plurificabilem, et divisibilem penes rationes materiales, non quidem facientes diversitatem formalem, et quidditativam, sed materialem et individualem, quæ sufficit dividere naturam, sed non differentia et divisione essentiali. Unde requiritur ultimæ unitatis ratio quæ reddat naturam non solum indivisam hoc vel illo modo, sub hoc vel illo respectu, verbi gratia, sub ratione entitativa, vel quidditativa, sed etiam sub ratione et indifferentia materiali et individuali, qua ultimo indivisa redditur. Et ideo reliquæ unitates dicunt entitatem indivisam, sed non ex omni parte, et omni modo, sed secundum suam rationem, et suam lineam, id est, entitative seu transcendentaliter, et quidditative et formaliter, etc. Compatiuntur ergo in eadem entitate, quia omnes istæ indivisiones in eadem re possunt et debent concurrere respectu diversi modi faciendi indivisionem.

VI. Quarto, inquires an multiplicata unitate inferiori, scilicet individuali, ut Petrus, et Paulus, possit in re manere unitas aliqua superior,

cum in illa non fiat indivisio, verbi gratia, unitas formalis hominis vel animalis, in quo illa individua non disconveniunt? Respondetur de hoc egisse nos in logica quæstione quarta, tangitur enim illa difficultas, an unitas formalis detur a parte rei multiplicata unitate individuali seu in pluribus individuis? Et idem est de unitate transcendentali entis. Videri potest pater Suarez, in met. disp. vi, sect. i. Et dicimus, quod in multiplicata unitate inferiori, seu facta divisione individuali, ipsamet unitas formalis, et transcendentalis multiplicatur, nec remanet unitas formalis nisi in quolibet individuo, licet verum sit, quod non multiplicetur formaliter, sed materialiter. Itaque manet convenientia formalis in pluribus individuis, non unitas. Sed hanc convenientiam solemus vocare unitatem improprie, sumpta unitate pro similitudine. Ratio est, quia differentia seu divisio inferior, ita contrahit, et afficit naturam superiorem, quod multiplicat illam, licet non superiori illo modo multiplicet, sed inferiori, v. g. multiplicatio individualis multiplicat naturam specificam, sed non specificam, et differentia specifica multiplicat genericam, sed non genericam, vere tamen multiplicat, et contrahit, quia illa natura communis erat divisibilis, et communicabilis in plura, ergo illa unitas superior facta divisione per differentias, et multiplicationem inferiorem non manet in ratione unitatis, differentia si quidem inferior si multiplicatur, dividit naturam superiorem contrahendo, et determinando illam, et faciendo sibi propriam et diversam ab ea natura, quæ est cum alia differentia, sicut divisio animali per rationale, et hinnibile, non manet aliud animal unum a parte rei inter equum, et hominem, sed animal quod est in homine est divisum, et

segregatum ab eo quod est in equo, et non unum. Ratio est, quia non manet idem, sed diversum in re, alias maneret una natura in pluribus suppositis, quod est mysterium Trinitatis, ergo neque unum, quod enim est unum sibi est idem. Manet tamen simile, et conveniens cum altero in gradu illo superiori, sed similitudo potius diversitatem quia nihil est simile sibi, sed idem.

VII. Nec obstat, quod inferiora non manent divisa, et disconvenientia in gradu superiori, v. g. Petrus, et Paulus non dividuntur, et disconveniunt in ratione formali hominis, ergo in eo manent convenientes, et indivisi, ergo unum. Respondetur enim esse magnam æquivocationem quando dicitur non dividi, seu non disconvenire aliqua in ratione formali, seu gradu superiori, nam ly in gradu, seu ratione superiori, vel potest significare rem quæ dividitur et in qua tamquam in re dividenda fit divisio, vel potest significare rationem formalem dividendi, ita ut sit sensus quod fit divisio in gradu superiori, id est, ipse gradus superior est ratio dividendi. Hoc secundo modo verum est, quod non fit divisio in ratione superiori, quia quando dividitur homo per individua, non specificè dividitur, et quando animal, per species, non genericè dividitur. Sed primo modo est falsum, quod non dividatur, est enim genus materia seu res multiplicanda per differentias non genericè, sed specificè, et species multiplicanda per individua, licet non specificè, si quidem non manet commune, sed communicatum, et multiplex. Unde non sequitur, quod maneat unum, quia ut esset unum non solum deberet manere indivisum ex parte rationis formalis, sed neque ut res dividenda deberet dividi, sed indivisa manere. Solum ergo

sequitur, quod illo modo formali non sit divisum, non tamen quod res illa divisa non sit, alio tamen modo. Et sic non manebit unum simpliciter, sed manebunt plura cum similitudine, seu convenientia.

VIII. Quod si dicas: Nam si ita est, ergo nullum ens est unum, nisi tantum individuum, et sic unitas transcendentalis in re non erit aliud quam unitas individualis, sicut aliqui voluerunt dicere, quos refert, et refutat Suarez, disp. iv met. sect. iii, n. xii et xiii, nam philosophus v met. text. xi, non solum unitatem singularem, sed etiam specificam, et genericam inter unitates entis numerat. « Et quæcumque, inquit, non habent divisionem in quantum non habent, sic unum dicuntur. » At vero juxta nostram expositionem unitas transcendentalis, et similiter formalis in re, non inveniuntur habere positive unitatem nisi ratione individuationis, facta enim multiplicatione individuorum unitas hominis, v. g. vel animalis non manet, ergo nihil unitatis datur præter individuationem, et tamen datur ens reale præter individuationem, homo enim in quo convenit Petrus et Paulus ens reale est, neque enim conveniunt in nihilo, ergo et unum est, quia unum est passio entis. Respondetur unitatem formalem, et transcendentalem, in re inveniri in quolibet individuo, sed non seorsum ab individuali, sicut enim nullum ens datur in re separatam ab individuatione, nisi ponere velimus ideas Platonis, ita nulla unitas transcendentalis, vel formalis sine individuali. Cæterum non sunt formaliter eadem unitas, licet materialiter, et identice unum sint, quia sub formalitate indivisionis diversæ sunt, una enim facit indivisionem sub ratione entis, alia sub formali ratione gradus generici, vel specifiçi, alia sub ratione indi-